

## 21.

*Epistola domini Pauli de Bernardo ad Bernardum de Casalortio.<sup>a)</sup>*

[Vat. cc. 110 v-111 r; Vi. cc. 344 v-345 r; M. c. 189; L. c. 109].

Fuerat aliquando necesse, Vir optime, ut casus aliquis aut oportunitas se offerret, que torporem meum ac ignaviam excitaret, utque rei iam dudum omisso atque supervenientibus aliis abiecte, aliquid grate vicissitudinis preberetur. Fateor namque, dilecte mi, a decennio citra vix ter stilo scripsisse materno; cuius rei etsi cause forte aliisque adduci possint, hec tamen potissima fuit, quod concurrentem non habui, qui pari certamine congredi vellet. Itaque destitu hoc defectu, nec minus familiaribus et recentibus semper curis 10 obsessus, et ad alia transvolavi, sicut mos est instabilitatis humanae. Extorsit tandem quorundam ignavia, quod nulla occasio alia vix potuisse elicere, ut ad seposita studia dudum ac exercitationes ingenii aciem mentis dirigerem, et, ut Flacus noster ait, antiquo ludo iterum me includerem, non spectatum satis ut ipse, neque iam rude donatum, sed remissum atque obductum ignorantie cecitate. Itaque duos, ut aiunt, sonetos in commendationem alme virtutis, utcunque fert parvitas ingenii mei, edidi, tecum participans ineptias meas, que etsi multe sint, multum tamen ad illas addicit protervus ludus fortune versatilis. Vellem libenter ut ipsi rithimi digni essent aribus tuis; profecto felix essem, fortunatusque longe, si quicquam 20 dignum tuo iuditio ex me esset. At qualescumque sint, tibi dicati sunt; leges, et si forte aliiquid fuerit quod ad rem attineat, abunde fuerit michi, si minus supportabis nugas meas, qui alias sepe mea onera supportasti.

Postremo quod in excusationem erroris non mei, sed cuius ne ausim dicere, pridie aliqua subiunxeris me absente, non tibi ad

Horat.  
Epist. I 1, 2.

<sup>a)</sup> Cfr. a pagg. 86, 96, 151, 162.

<sup>1</sup> Bernardo da Casalorcio *Vi. M. L.*   <sup>3</sup>*Vi. meam.*   <sup>4</sup>*ac] M. L. et.*   <sup>4</sup>*iam]*  
*om. Vat.*   <sup>5</sup>*Vi. obiecte.*   <sup>5</sup>*grate] om. Vat.*   <sup>7</sup>*Vi. M. L. forte cause.*   <sup>7</sup>*Vi.*  
*M. L. possent.*   <sup>9</sup>*nec] Vi. M. L. ne.*   <sup>10</sup>*M. L. transvolam.*   <sup>14</sup>*iam] M. L.*  
*om.*   <sup>17</sup>*fere codd.*   <sup>18</sup>*M. L. illos.*   <sup>19</sup>*M. richmii L. rigmi.*   <sup>20</sup>*fortunasque*  
*Vat.*   <sup>21</sup>*Vi. M. L. dictati.*   <sup>22</sup>*Vi. sint.*   <sup>23</sup>*si] om. Vi.*   <sup>23</sup>*meas] om. Vi.*  
<sup>26</sup>*M. L. subiunxeras.*